



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Ivstitia Et Ivre Libri Decem, Reuerendi P. F. Dominici
Soto, Segobiensis, Ord. Præd. Theologi præclariss.**

Soto, Domingo de

Venetiis, 1608

1 An effectus legis sit impetrando ac vetando reddere homines bonos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38878

ipso expirante veterem consumavit. Nam tunc in ara crucis nouo sacerdotio, vetus antiquauit. & translato sacerdotio, ait ad Hebræos Paulus, necesse est vt legis translatio fiat. Quamuis nihil absurditatis habeat quod in triduo tantilloque tempore post resurrectionem non obligaret lex noua. At vero prior mihi respondendi modus multo probatior est, vt lib. proximo q. 5. monstratum sumus: vbi materia hæc a cessatione legalium admissum est examinanda. Ad tertium argumentum respondetur, quod cum lex scripto debeat promulgari illa scriptura abientibus & futuris loquitur: qua ratione ait Isidor. legem esse constitutionem scriptam, & a legendo vocari, eo quod legenda proponitur. Quamuis illud de civili tantum intelligatur: nam lex naturæ in mente scripta est: & ius gentium eadem mente collecta.

Ad tertium arg.

lex non facit bonos nisi qui sibi sunt obediētes; illud ergo obediētiæ bonum non est a lege, sed ei præsupponitur.

Tertio, lex vt dictum est, in bonum commune reipublicæ refertur, ergo effectus eius solū est facere bonos ciues, puta obediētes legibus & magistratibus in commune bonum, hoc autem non satis est ut simpliciter sit homo bonus; nam potest esse malus in his, quæ lege civili permittuntur. In contrarium autem est ipse idem Philosophus, qui in iūto 1. Ethic ait voluntatem cuiuslibet legislatoris esse vt faciat homines bonos.

Ad quæstionem hanc respondetur duabus conclusionibus. Prima est. Effectus legis, quem potissime aspiciere debet legislator, est bonos facere homines sibi subditos, per quam bonitatem finem humanum adipiscantur, quæ est nostra felicitas. Conclusio hæc facile ex decisione superioris quæstionis colligitur. Finis enim legis, est commune bonum in quo nostra consistit beatitudo, illum autem nemo nisi per virtutum exercitationem, assequitur, quæ bonum faciunt habentem eos, vel maximè quodd (vt Philosophus docuit) felicitas ipsa huius sæculi in virtutum vsu posita est, ergo legis effectus est homines facere studiosos & probos. At vero quoniam ratio hæc de lege tantum procedit, quæ ueram habet legis rationem, S. Tho.

Aristot. Prima conclusio Prima ratio.

QVÆSTIO II.

DE LEGIS EFFECTIBVS.

S. Thom. 1. 2. quæst. 92.

ARTICVLVS I.

Utrum effectus legis sit præcipiendo ac uoluntate facere homines bonos.



Quæstio præsens duos habet articulos, alterum de effectu legis, atque alterū de eius actu. Oportet enim in præsentiarum quatuor consideratè discernere: finis enim legis est adeptio communis boni, in quo posita est felicitas: de quo in 2. artic. dictū est: effectus autem est probitas & honestas per quam illuc tenditur: actus uero quem legis uirtutem appellant, est præcipere, & uetare, sed potestas & neruus est obligare & coercere, de quo q. 6. dicendum est. Arguitur quod legis effectus non sit facere homines bonos, uirtus enim est secundum Philosophum 2. Ethic. quæ bonum facit, habentem & eius opus bonum, uirtus autem munus Dei est, vt illa celebris habet definitio Augustini q. ex 2. lib. de libero arbit. colligitur. Virtus est bona qualitas mentis, &c. quam Deus in nobis sine nobis operatur, lex ergo nō est quæ bonos facit habentes. Secundo,

1. 2. quæst. 92. aliam excogitauit rationē, quæ legem omnem etiam metaphoricam amplectatur. Lex, inquit, cum rationis dictamen sit, quo præsidens subditos gubernat, ad hoc ordinatur vt ei subditi bene obtemperent, hoc enim est cuiusque præceptionis propositum, uirtus autem eius propria qui alteri subditur, est bene superiori obtemperare (vt in calce 1. Politic. auctor est Aristot.) quemadmodum uirtus appetitus sensitiui est, vt probe & promptè rationi obediat ergo intentio legis, est subditos ad suam ipsorum propriam uirtutem inducere, utpote per quā ei obsecundent, hæc autem uirtus bonum facit habentem, & eius opus bonum, ergo cuiusque legis effectus est facere homines bonos. Quod si in uento legislatoris ad id quod est uere ac simpliciter bonum feratur, tūc lex ipsa pari modo imbuet subditos uera bonitate, sin uero nō fuerit simpliciter bonum, sed uile aut delectabile si.

S. Tho. Secūda ratio.

Aristot.

Quatuor in lege aduertenda. Prima ratio. Aristot. August. Secūda ratio. Tertia ratio.

bi repugnans autem iustitia, tunc lex faciet subditos non bonos simpliciter, sed in ordine ad illum finem; ut si sit lex conquiritur diuitias, instruet illos, probè ad illum finem, & si fuerit lex latrocinandi, faciet illos bonos latrones, nam & in malis inuenitur obedientia legis, quæ effigiem habet boni, non honesti, sed vel delectabilis vel utilis. Hæc autem ratio non satis videtur rem demonstrare, conclusio enim nostra est, legem efficere bonos homines ratio vero solum concludit quod efficiat bonos subditos, quod minus est. Arist. enim Polit. 3. ca. 3. dignoscit bonum ciuem a viro bono. Cuius enim inde dicitur bonus quod sit bonus subditus, hoc est legis dicto audiens, vir autem bonus plus obtinet probitatis, nam cum multa ciuili lege impunè permittantur, potest quis bene auscultare legibus & nihilominus prauus esse puta auarus, fornicarius, & e. ut sup. argumentabamur. Igitur non fat est legem facere bonos subditos, ut faciat simpliciter bonos hoies. Caiet. eodem loco defendere conatur rationem S. Tho. hoc pacto, quod licet qui subditus est unicuique particulari legi, ut puta humana, non illic sit vir bonus; tamè bene paret omni in vniuersum legi, puta naturali & diuina, non potest non esse simpliciter vir bonus; eo quod tales leges de omni virtute precipiunt. Hæc autem expositio, nisi ego hallucinor, non est menti S. Thom. germana. Etenim si hoc ipse cogitasset, collectim simul dixisset, legum vniuersitatem facere hoies bonos, cum tamen non hoc tunc asserat, sed quod ille sit effectus cuiuscunque per se legis. Sic enim ait; Ad hoc enim ordinatur unaquæque lex, ut obediat a subditis Genuinus ergo sensus S. Tho. est, effectum cuiuscunque legis esse, facere homines bonos suo ordine & gradu, scilicet respectu peculiaris finis eiusdem legis, ut puta legis iustitiæ, facere iustos, legis fortitudinis, fortes, & temperantia, temperatos, &c. Et ideo optima erat collectio, quod si facit bonum subditum, facit bonum hominem in tali materia. Ex quo fit ut lex æterna & naturalis, quæ omnem docent iubentque virtutem, faciant homines unde quaque absolutos. Hæc erit hic autem forsitan de hac conclusione qui spiam, utrum usque; adeo sit vniuersalis ut legislatorè secularè eiusque leges suo ambitu complectatur, an uidelicet principum regumque munus sit bonos secundum animam

facere ciues. Existit. n. contra apparet arg. quod hoc differat inter ecclesiasticos antistites & seculares princeps, quod illi spiritualibus attendentes, curam gerere debeant animarum, isti vero tunc pacis quieti pacatiq; status rei publicæ. Si namque uulgius arbitrii forte poterit. Mox arguitur ex Arist. 1. Polit. c. 2 ubi ait, constituta esse ciuitatè uiuendi gratia, s. p. p. sufficientiã uitæ. Ex domo. n. propagatur pagus, & ex pagis coalescit ciuitas, ut. s. diuersis artibus diuersisq; mercimonijs sibi ciues mutuo sufficiant, ergo a secularibus legibus non est quidpiã altius desiderandũ. His tunc nihil obstantibus, proculdubio auscultanda est conclusio uniuersaliter, philosophi. n. affirmantes scopum legislatoris esse ciuium probitatem atque honestatè morũ, nihil de ecclesiastica institutione cogitabant, sed de regibus id assererent. Quæ ob rem meminisse oportet discriminis inter alias uirtutes, & intellectuales artes & scientias. Ars. n. facere potest pictorè bonum & bonum statuariũ, & scientia Theologũ bonum, bonũq; iurecõsultũ, bonũ autem uirum sola perficit moralis uirtus. Quæ p. p. leges oēs ciuiles siue de reliquis artibus siue de reb. alijs edicant, oēs ad bonum animæ, quoniam nra felicitas agitur, instituatæ sunt, ob idque loco modo cita. Arist. per egregiè dixit, quod ciuitas constituta quidè est gratia uiuendi, existit uero bene uiuendi gratia. Enim uero non modo ciuium congregatio ad uitam corporalem emolumenta adfert, atque cõmoda, sed præcipuè ad spiritualem. Nequirè. n. dispersi hoies ac solitarij ignorantés docere, coercereq; malefactores, cõsilijsq; & salutaribus mōis mutuo se ad felicitatè iuuare ut faciunt congregati. Etenim qua ratione homo ad felicitatè natus est, eadem est ciuile animæ, ob idque solitarius, nisi angelicè degat uitam bestia est. Atque eandè ob causam qualem antiqui felicitatè statuebant, tales & terebant leges, ut Epicurei eas quæ uoluptati capessendæ deseruierunt, atque alii alias, quibus uel diuitiis uel honoribus accumularent. Et Lacedæmonij (ut 1. de legibus auctor est Plato) qui illic felicitatè collocabat, ut oñium essent uirtutes ac dñi, eas excogitabant leges, quæ ad belliciosius gerendã accõmodatiores essent. Igitur principes qui uera felicitatè sincere norunt, ad eandè dènt cõstitas referre leges. Ait n. Arist. Eth. 9. iusta legalia factiua est felicitatis. Haud quippe externis, actionibus decorũ patet ciues seruare reipublicæ statum, nisi

Obicit contra primam rationem S. Tho.

Caieta. nititur defendere rationem S. Tho. Solutio.

Caieta. non est ad mentem S. Thom. Genuinus sensu S. Th. Dubo. Arg. 1. Arg. 2.

Aristot. Satis sit duboni proposita. Probatio,

Aristot.

Secunda ratio.

Plato.

Aristot. postrema ratio.

nisi internis virtutum habitibus vigeat. Et Postremo accedit quod omnis potestas à Domino Deo est: propter quod eidem admonet Paul. omnem animam esse subditā. Deus autem ad se cuncta ordinavit ac regulavit: ergo in ipsum debent principes suas leges referre. Haud ergo hac parte secularis potestas à spirituali differt, sed hoc tantum, quod cum ambæ eundem suis legibus debeant scopum supernæ salutis præfigere spiritualis supereminet seculari, nempe ut factorum leges instituat: & si secularis princeps leges à vera felicitate deflexerit eas emendet & corrigas, principesque ipsos cohibeat. Tunc enim locum habet illud 1. ad Cor. Paul. animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur. Adde hic demum quod causa huius assertæ veritatis Aristot. eodem loco 3. Polit. ca. 3. postquam distinxit civem bonum & virum bonum, subiunxit, Principi necessarium esse ut sit vir bonus, hoc est omnibus virtutibus exornatus. Et ratio est, quod regere munus ac functio prudentiæ est, quæ nisi omnibus virtutibus associetur, vera esse non valet: iudicat enim prudens de omnibus: & quia qualis unusquisque est talis sibi finis videtur, necesse est ut bene sit affectus ad omnia de quibus iudex sedet. Sed arguis, videtur non opus esse maiori virtute in principe ad operandum quam in civem ad obediendum. Nam ut tota subditi probitas quatenus subditus est, consistit in bene parendo, ita & tota principis in bene imperando: quæ enim aliter iussa dat, alter capessit: ergo cum in republica civili: non omnia mala prohibeantur, sit ut sicut neque ad bonum civem, ita neque ad bonum principem requiratur omnis virtus. Respondetur disparem esse rationem, quoniam princeps debet de omni virtute leges ferre, & (ut ait 1. Polit. Philosophus c. vlti) quomodo si imperans non est temperatus & iustus & fortis, huiusmodi virtute rectè imperabit? Et quamvis non nulla impune permittat, ut meretricia mendacia & epulationes, hoc tamen non debet libidine facere sed iudicio. Debet enim esse adeo castus, ut ad evitandas peiores turpitudines meretricia ubi oportet permittat: & tam liberalis, ut ad evitanda atrocina permittat quempiam vsurarium modum. In summa veluti medicus salutaris est corporis moderator, ita & prin-

ceps qui gubernaculum reipublicæ tenet veluti animarum medicus ad illum finem debet cuncta moderari. Secunda conclusio huius articuli sit. Licet princeps metis oculos semper debeat habere ad bonitatem civium attentos, debet nihilominus & legibus artes officiaque reipub. prospicere, annonam & reliqua temporali vitæ ita ad bellum quæ ad pacem necessaria providere. Quin verò & civium facultates & honores augere, ea tenus tamen quatenus præsentis vitæ ornamenta futuræ sunt felicitatis adminicula. Ad primum igitur argumentum conceditur omnem virtutem munus esse ac donum Dei: haud tamen quod nobis sine nostra opera donetur, sed nobis quippiam agentibus, licet non pariformiter. Est enim virtutum alia infusa, alia verò acquisita. Et quidem infusam Deus nobis se solo donat non tamen adultis sine ipsorum consensu & dispositione. Acquisitæ autè, licet Deus donator sit tanquam auctor naturæ nostræ nihilominus consuetudo causâ etiam est: inde. n. dicitur acquisita, quod nostris moribus cõficitur. At verò quia neutrius operæ habet virtutis simpliciter dictæ, nisi Deo per gratiam sit acceptum, cuius quidem primæ gratiæ nos non sumus causâ per meritum, rectè ait Aug. oem virtutem dari nobis. Nihilominus quia leges opera nostra dirigunt, per quæ fauente Dei numine morum probitate decoramur, p. leges dicimur boni effici. Eo. s. pacto quo Aristot. 2. Polit. ait quod legislatores assuescentes faciunt bonos. Ad secundum autem respondetur, non se per qui legi obedit, id facere ex bono virtutis, sed timore quandoque pænæ, quam lex comminatur: per quam subinde adducitur ut prompto animo rationi obtemperet. Quamvis sint etiam quædam à natura virtutis semina ante legem nobis infusa, ut quis possit obedire legi, per quam obedientiam perfecte cõparet virtutes. Ad Tertium autem iam responsum est. Lex enim quæcumque civilis facere duntaxat intendit bonos subditos, hoc est prompte obsequentes, quoniam respública nisi ex partibus cõstet, quæ toti obtemperent, non potest cõsistere, sicuti neque corpus cui membra non serviunt. Satis ergo est ad firmitatem reipub. si princeps oim polleat virtute, & cives boni sint subiecti. Licet non oes sint viri absolute virtutis, ut Aristot. 3. Polit. docet. Attamen qui legi naturali ad divinam auscultant, illi sunt & boni cives, & viri integerrimi.

Ad primum arg.

Ad secundum.

Ad tertium.

Aristot.

Paulus.

Aristot.

Obiectio.

Solutio. Aristot.

mi, vt iā supra dictū est. De legib. aut tyrānicis, cū vere non sint leges, nō est opus est argumentum inde obijcere, quod non faciūt bonos ciues. Id enim tātum bonitatis habent quod faciunt subditos obedientes, vel timore poenae vel alia corrupta via.

ARTICVLVS II.

Veram legis actus congruenter assignentur.

Subsequitur articulus secundus de legis actib. Videtur. n. non esse quatuor. s. imperare, vetare, permittere & punire. Lex enim idem est quod praeceptum & imperium, vt supra monstratum est: non ergo opus fuit discernere inter imperare & vetare. Secundo, effectus legis est subditos ad bonum inducere: cōsiliū autem ad id ipsum cōducit, ac pariter praeuium, ait. n. Juris. l. de iustit. & iur. ff. quod bonos nō solū metu poenatum, verum etiam praemiorum exhortatione efficere cupit: ergo & consulere & praemiare, nihilominus quāam praecipere & punire actus sunt legis. **Quin** verò tertio valentius arguitur. Effectus legis est homines bonos facere: ille autē qui metu dūtaxat poenae legi obtemperat, nō est simpliciter bonus: metus namque seruilis quamuis sit moraliter bonus, nondum tū lineam virtutis attingit: ergo punire nō est legis actus. In contrarium autem est inter Iureconsultos Modestini. ff. de legibus & senat. consul. vbi ait legis virtus haec est, imperare, vetare, permittere & punire.

Ad quoniam istam conclusionem hac respondetur. Legis actus ac virtus quadripartitus est, vt lege citata Iureconfu. docuit. Neque verò obstat Isidori sententia lib. 5. Etymo. vbi de trib. tantum meminit. Ait quippe; Omnis lex, aut permittit aliquid, vt vis foris praemium petat, aut vetat, vt sacrarum virginum nuptias nulli petere liceat: aut punit, vt qui cadem fecit capite plectatur. Nam permissi appellatione consularum more praecipia etiam comprehenduntur. Sic enim habetur C. de legib. & confl. leges sacratissimae. Vniuersi praescripto legum vel inhibita declinent, vel permissa sectentur. Haud enim est credibile, vt potissima legis functio eum praeterierit. Enim vero cum tres sunt discretiae humanarum actionū; Prima, earum quae genere suo bonae sunt: aliae verò quae genere suo sunt male, ac

tertia quae sunt indifferentes. Respectu primarum legis virtus est praecipere, vt, Vnū cole Deum; charos venerare parentes. Vnde Arist. 5. Ethic. Lex, inquit, de omnibus praecipit virtutum actibus. Respectu vero aliorum secundi generis est vetare, vt, Ne iures vana per cum. Non occides. Sed respectu actionum tertij ordinis est permittere, vt cui libuerit, negotiari fas sit lucrigratia. At vero quū lex distamen rationis est quo homines ad officium inducuntur, fit vt instar rationis speculatiuae, quae per vnum aliud concludit, subditos per poenā a vitiis arceat, atque in officio contineat, hac ergo ratione & quartus ei actus adiungitur, qui est punire. Sed tamen contra singula huius inductionis membra obijciuntur. Primum legibus non ea solum praecipit conuefunt quae genere suo sunt bona, verū etiam ea quae per legem constituuntur virtutum loco; neque solum vetantur ea quae genere suo sunt mala, verum quaedā quae per legis prohibitionem efficiuntur mala. Hinc enim illa celebris distinctio orta est. Alia sunt prohibita, quia mala, alia vero mala, quia prohibita. Diem. n. vbi gratia, cuius diuo festiuiter dicere, quem prius feriari indifferens erat, lege sola fit religionis virtus. Et armatos noctu ciues obambulare, quod prius erat indifferens, prohibitione legis fit vitium. Respondetur autē quod vbi diximus praecipendi actum circa ea versari quae sunt genere suo bona, ampliandum verbum est & ad illa quae certa ratio indicat esse bona; nihil enim lex praecipere debet nisi quod ratio pro tempore & loco ostendit esse bonum. Et pariformiter neque quidquam vetat, nisi quod vel genere suo vel circumstantijs loci aut temporis ad bonum finem, ordinatur. Sed rogas, illa quae genere suo sunt bona vel mala, quid nā alia opus habent aut praecipione aut prohibitione? Respondetur, Ea quae genere suo iusta sunt lege naturae praecipuntur, & quae genere suo sunt mala eadem lege prohibentur. Nihilominus causa amplioris luminis voce etiam in mandatis proferuntur, scriptisque referuntur, vt Decalogus exemplum est. Praeterea ad vterius tertium membrum est argumētū, quia lex humana non ea tantum permittit quae indifferentia sunt, vt orari, & quatenus eutrapeliae virtus indulget ludere & venari, verum & quae mala sunt, & scortari,

Legis actus quatuor.

Argu. 1.

Argu. 2.

Argu. 3.

Conclō responsiua. Isidor.

Quo patua. Solutio. Argu.